

protestatione coram nobis facta nomine advocatie omne illud ius intelligitur comprehendendi, quod Iohannes, qui dicitur advocatus montis, de manu bürgegravii tenere dinoscitur, ac totum illud ius, quod ad bürgegravium pertinet, in raptu et effusione sanguinis et in insidiis et in irruptione que not blätrüst lage heimsüke vulgariter appellantur, ac preterea ius banni et trium iuditiorum annuorum,¹ quibus ante palatum nostrum consueverunt bürgegravii presidere in loco, qui vulgo palenze nominatur. Ad hec nichilominus omne ius servitiorum si quod ad bürgegravium pertinebat. Petiverunt autem a nobis abbas et conventus eius, ut ecclesie sue advocatiam ipsam in proprium liberam traderemus, bürgegravio eam in nostris manibus resignante. Nos igitur de consensu capituli nostri ad supplicationem abbatis et conventus eius non solum pensantes devotionem ipsius ecclesie, qua nobis et ecclesie nostre devotam se semper exhibuit et paratam, verum etiam ipsam ad amplioris devotionis beneficentiam invitantes advocatiam eandem per manus bürgegravii in nostris manibus resignatam ipsis et ecclesie sue tradidimus et in proprium donavimus liberam ac solutam. Verum quoniam hanc munificentiam gratie nostre manere volumus utilem et utiliter fructuosam, statuimus et presentis privilegii auctoritate firmiter inhibemus, ne quis abbatum sibi pro tempore succendentium advocatiam eandem aut infeodare aut alias alienare valeat ullo modo. Quod si forsitan aliquis abbatum eam preter consensum conventus sui cuiquam vel in toto vel in parte aliqua infeodare vel alias alienare presumpserit, conventus idem illi nec ad obedientie debitum nec ad exhibendam reverentiam teneatur et sciat se nichilominus abbas idem a temporalium amministratione remotum, sed etsi de consensu fratrum hoc fecerit, sciant abbas et fratres hanc donationem ipsius ipso facto suo temerario revocatam et eam in ius iurisdictionis nostre liberam rediisse. Ad hec si quis contra hec statuta nostra venerit, indignationem dei omnipotentis et beatorum apostolorum eius Petri et Pauli nostramque ac successorum nostrorum incurrat. Testes huius rei sunt Otto maior prepositus, Gernandus decanus, Anno cellararius, Rodolfus scolasticus, Fridericus de Meiendorp, Thidericus de Scherembeke, Wernherus prepositus, Ludolfus de Svanebeke, Conradus de Saltwedel, Kraphto, Lodewicus, Willebrandus prepositus, Burchardus de Glinde, Siffridus, Ludolfus de Indagine, Conradus prepositus, Heinricus de Plawe, Albertus de Werningerode, Themo, Burchardus prepositus, ecclesie nostre canonici; laici vero: Albertus vicedominus, Hildewardus de Ranis, Richardus de Tserewist, Gumpertus de Luburch, Eremfridus de Givekensten, Hartmodus de Borch, Hermannus de Roseburch et alii quam plures.

Acta sunt hec Magdeburg in capella maioris ecclesie nostre XII Kalendas Octobris anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo vicesimo primo.

Datum² VI Idus Novembris pontificatus nostri anno quinto decimo.

*Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergische Stiftung 17.
Gedruckt: Kurze historische Nachricht vom Stapelrecht der Stadt Magdeburg, S. 93—95.*